

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CL.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

A. 1568.

P A R S T E R T I A.

277

doctissimos & ornatisimos viros, fratres meos charillimos, meo nomine reverenter  
salutabis.

Tuis ex animo

Jacobus Andreæ.

C L.

Gratiā & pacem per Christum. Reverende ac

Clarissime Vir, amice colende.

E X Rostochio 28. Junii post habitam ibi publicam de communicatione Idiomatum Disputationem ad te scripsi. Et quia studiosos illos, quibus literas tradidiram, arbitror jam ad vos pervenisse, judico, non opus esse prolixiori repetitione. Sed domum reverso 14. Julii tuae mihi literae redditae sunt, quae me de editione libelli mei de communicatione Idiomatum dubium reddiderunt. Nam Bibliopola Francofurtensis, Simon Hutter, ex nundinis Lipsiensibus mihi scripsit, se duorum meorum libellorum, unius de Cœna Domini, & alterius de communicatione Idiomatum editionem ad typographos Argentinenses procurasse. Sed ex tuis literis hoc non intelligo. Rostochio autem ad te scripsi de mutanda epistola dedicatoria alterius libelli de Communicatione Idiomatum. Si igitur editio apud vos curara est, amanter & officiose peto, ut illa, de quibus scripsi, diligenter eurentur. Si autem forsitan libelli illi Basileæ ederentur, etiam atque etiam oro, ut per hunc nuncium amico cuidam Basileam scribere non graveris, ut ea, quae tibi scripsi, recte expediatur. Quod autem liberius hoc à te peto, amicitiae hoc nostræ dabis. Scribis præterea de chartis quibusdam, sparsis nomine D. Mörlini, de certaminibus Illyrici. Et vellem, me posse jam copiose, sicut constitueram, respondere. Sed nuncius properat & jam à Senatu vocor. Breviter itaque idem vobis respondeo, quod & aliis, & coram Rostochiensibus & Wigando & Westphalo respondi. Primo colloquium illud non institutum, nec exceptum est, ut publice spargeretur, sed ut in privatum Ecclesiæ nostræ usum asservaretur. Et bona fide possum affirmare, chartas illas me & inscio & invito in publicum sparsas esse. Secundo chartæ illæ sicut circumferuntur, non bona fide descriptæ sunt. Explicationes enim jejuna, murilæ & imperfectæ sunt, praesertim de Lege, de definitione Evangelii & de aliis etiam. Tertio, scripsi ad D. Mörlinum, si animadverterimus corruptelistas chartis illis abutivelle ad corruptelas stabilendas, nos opposituros publicam responcionem. Hac responcione, quæ vera est, boni illi viri, quos nominavi, sibi satisfieri possunt, atque idem de vobis etiam mihi persuadeo. Plura jam scribere prorsus mihi non vacat. De Schlüsselfburgii negotio alias scribere ad vos decrevi. Nunc brevitati lite-

M m 3

karun

tarum ut vniuersitatem des, oro. Reverendum Ecclesiae Vestrae Ministerium meo nomine reverenter salutari peto, Bene & feliciter in Christo, mihi D. Marbach, vale, Brunsuigæ, 16. Julii, 1568.

T.

Martinus Chemnitius.

## CLL.

*Salutem à Filio DEI. Reverende viro*

*parentus loco colende.*

Facile te excusant adsiduae occupationes, quod scribis rarius. Nec dubito, quin eodem candore meorum laborum sis aestimator. Scripsi Thomæ Irtenbergio, Noribergensi, ut ad te mittat 40. fl. quod eum facturum spero: eam pecuniam quælo tradas duobus scholasticis, alumnis nostri Principis, Georgio Kirrmaiero & viro Kirchbauer. Ob annonæ caritatem, quæ apud vos est, & stipendii quod illis præbetur tenuitatem, statuerunt se conferre Jhenam, quam Academiam sedulo instaurat Dux Saxonie, Joh. Wilhelmus. Permissum eis hoc est à Senatu Ecclesiastico, quod tibi significantum putavi, ut facilius honestum impetrarent testimonium. Johannes Fridericus Cœlestinus, Doct. Jhenam à Principe Joh. Wilhelmo revocatus, & à nostro Principe dimissus. Theologum, qui ei succedat, abs te non petam indicari: scio enim, vos egere & totum biennium quæfivisse. Christum præcor, ut operarium fidelem extrudat. Rerum Illyrici statum scire pervelim. Novi jam nihil. Bene in Domino vale. Neuburgi, 23. Julii, 1568.

*Tuus ex animo*

Tilemannus Heshusius.

## CLII.

*Salutem in Christo Jesu.*

L iteras tuas, Reverende & Clarissime Vir, Domine & frater charissime, acceperas nuper ad me scripsisti. Ac primo omnium, quod ad juvenem attinet Isensem, prospexi illi apud Professorem Hebreæ lingua, M. Jacobum Dachtlerum,

virum